



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Nicolai Papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## VITA

## NICOLAI PAPÆ III.

**N**ICOLAVS tertius, cui Ioannis Caietani nomen fuit, ex nobilissima Vrsinorum familia genitus, ex cardinale diacono tituli sancti Nicolai, post interregnum sex mensium, magna cum altercatione pontifex creatus est Viterbii septimo Kalendas Decembris anno Christi 1277. obstante plurimum Siciliæ rege Carolo, qui senator conclavi praesidens omnibus modis urgebat, ut e Gallicia quispiam eligeretur. Initio pontificatu Carolo Etruria vicariatum & senatorium dignitatem abstulit; strictissime prohibens, ne nullus principum ad eam deinceps assumeretur. Exarchatum Rauennatæ cum omni Flaminia recepit, cui comitem Bertholdum nepotem præfecit. Post multas comminationes Venetos adegit ut pacem cum Anconitanis paciscerentur. Duos reges ex Vrsinorum familia creare decreuerat, unum Erutriæ, alterum Longobardia præfecturus: ille ut Germanos ultra Alpes compesceret, hic ut Gallorum & Siciliensium potentiam retunderet. Laudatur in eo quod generosi animi & sani consilii, probatae vitæ, morumque honestissimorum fuerit, literarum studiosos amauerit, in distribuendis beneficiis personarum electionem euitauerit. Cardinales aliquot graues & doctos viros elegit, inter alios fratrem suum, & Columnæum alterum. Præclaris ædificiis palatum exornauit, sancti Petri hortos muris circumdedit, ecclesiamque reparauit, in eaque pontifices depingi curauit. Idem etiam in sancto Paulo perfecit: canonicorum numerum auxit. Ordines ecclesiasticos diuisit, unicuique domicilium proprium assignans, ut aduenæ, quo in loco quisque magistratus, praesertim Forensis, reperiatur, cognoscere possent. Palatum Lateranense ad finem perduxit. Sancta sanctorum restaurauit. Ecclesiam sancti Ioannis propriis expensis reædificauit. Nunquam Missam sine lacrymaru profusione celebrauit. Ordinem Minorum maxime promouere studuit. Ecclesiis vacantibus optime omnium & prudentissime ipse unus prouidit. Magistratum alioisque curiæ ministros reformauit. Multa ad publicam utilita-

NICOLAVS C. TARRACONENSE. RUDOLPHVS I. IMP.  
P. III. PETRS III. R. ARAGONIÆ. 607

tem spectantia ordinavit. In hoc vno quibusdam culpabilis visus, quod in suos propensior obseruaretur: præsertim quod ut iis benefaceret, aliis subtrahebat. Tandem, licet cibi potusque abstinentissimus esset, morte tamen subitanea in octaua assumptionis Suriani sublatus est, cum pontificatum annis tribus, mensibus octo, & diebus quindecim obtinuisse. Inde Romam relatus in ecclesia sancti Petri sepultus est. Sedes quinque mensibus vacauit.

ANNO CHRISTI  
1279.  
CONCILIVM TARRACONENSE  
PRO CANONIZATIONE RAIMUNDI  
Pennafortii celebratum anno MCCLXXIX.  
sub Nicolao papa tertio.

NOTA.

\* Concilium. ] De hac Synodo Bzouius ex Surita ista refert: *Tarracone in Aragonia ad septimum Idus Decembris Bernardus Tarracensis archiepiscopus, Arnaldus Barcinonensis, Bernardus Gerundensis, Raimundus Ausitanus, qui se Vicensem cognominat, Guilielmus Ilerdensis, Petrus Vrgelitanus, Arnaldus Dertofanus, Petrus Cesar Augustanus, Iacobus Oscensis, Iaspertus Valentinus, episcopi: item abates & alii prelati Concilium celebrarunt. Ex eius decreto literis enixe Nicolaum pontificem interpellarunt, ut Raimundi Pennafortii viri sanctissimi memoria sua certa destinataque sententia religione omnium consecraretur, areque ei inter diuos ritu solenni statuerentur, utpote cuius viri sanctitas insigni tunc splendore apud omnes prefulgeret. Nihil tunc in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quod rex Petrus a Procida seductus iam turbas Italiae moliretur, neque censum Romanae ecclesie pendere vellat.*

ANNO CHRISTI  
1281.  
VITA ET EPISTOLÆ  
MARTINI PAPÆ II. VVLGO IV.

MARTINVS huius nominis secundus, Simon ante dictus, natione Gallus, patria Briensis, quondam Turoni canonicus, vir pius & sanctus, post obitum in Gallia legationem sedis apostolicæ, ex cardinale presbytero tituli sanctæ Cæciliæ creatus est pontifex octauo Kalendas Martii anno Domini 1281. tempore Rudolphi imperato-